



Boehmer Trage. 1798 nr. 1 d ist hinter } hingekunden
1798 nr. 4 b statt " }
" nr. 7 c }

34

ORDINIS IVRIDICI

IN

1798

8

ACADEMIA WITTEBERGENSI

H. T.

DECANVS

GOTTLIEB WERNSDORFFIVS

PHILOS. ET IVRIVM DOCTOR, DIGESTI INFORTIATI
ET NOVI PROF. PVBL. ORDIN. CVRIAE ELECTORALIS
PROVINCIALIS, SCABINATVS ET FACVLTATIS IVRI-
DICAE WITTEBERGENSIS, NEC NON IVDICII PROVIN-
CIALIS IN MARCHIONATV LVSATIAE INFERIORIS
ASSESSOR

LECTORI BENEVOLO SALVTEM

an filii vasalli nobilis in Saxonia beneficio competentiae gaudeant?
disquiritur.



ORDINIS IURIS

MAGISTRUS

ET

GOTTLIB WEINSHORN

PHILOSOPHIAE DOCTOR, DIRECTOR

ET PROFESSOR PRAECEPTOR

ACADEMIAE SCIENTIARUM

ALMA MATER

UNIVERSITATIS HALLENSENSIS

1771




Inter plura, quibus milites ornati sunt, beneficia, et hoc est, quod condemnati eatenus, qua facere possunt, solvere cogantur. a) Quod competentiae siue deductionis beneficium appellatur, b) vel quod ex hoc ipso privilegio debitoribus tantum relinquendum sit, quantum pro honesta et congrua, siue competente sustentatione necessarium est, vel quod nonnullis tantum competat personis, quibus hoc ipsum privilegium concessum est, c) vel denique quod illud alimentorum deductionem permittat. d)

Est enim hoc ipsum beneficium, privilegium certis tantummodo personis concessum, ne ad ultimum usque obolum excutiantur, iisque omnia bona ob aes alienum auferantur, sed ut iisdem necessaria ad vitam, pro qualitate personae, status et dignitatis conservandam, subsidia relinquuntur. e) „In condemnatione personarum, inquit PAVLVS, f) quae in id, quod facere possunt, damnantur, non totum, quod habent, extorquendum est, sed et ipsarum ratio habenda est, ne egeant.“ Eget autem is, qui caret iis, quae eidem pro sua conditione necessaria esse videntur. g)

* 2

Acquum

- a) L. 6. pr. et L. 18. D. de Re iudic.
b) BENED. CARZOVIVS in *Def. for. P. I. Constit. XXXII. Def. XVI.*
c) WOLFFG. AD. LAVTERBACH in *Diff. de Beneficio competentiae*, §. III. AVG. A LEYSER in *Diff. Beneficium competentiae, quo usque nobilibus competat. Witteb. 1723. §. V.*
d) GOTTF. SCHNEIDER in *Diff. de Beneficio competentiae, Witteb. 1651. Th. I. n. b.*
e) IO. BALTH. WERNHER in *Diff. de Beneficio competentiae generatim, speciarimque nobilibus concessio, Witteb. 1709. quae inserta est Eius Observ. for. in Suppl. nouis ad P. VII. Obf. LXXXVII. LEYSER in Diff. laud. §. VI.*
f) in L. 173. D. de Reg. iur.
g) WERNHER in *Diff. laud. C. IV. Th. III. IO. AVG. HELLFELD in Diff. de Beneficio competentiae ex proprio aequae ac rerum iure, §. 2. in Opuscul. pag 565.*



Aequum quidem est, ut vnus quisque id, quod ei debetur, accipiat, et vt debitor creditori in solidum satisfaciat, isque ad saccum et peram vsque excutiat, neque eidem aliquid, praeter vestem quotidianam, qua corpus tegere possit, relinquatur; h) at singularis interdum debitoris fauor efficit, vt ab hac ipsa regula nonnunquam recedamus, et id, quod in genere aequum esse videtur, in specie quadam nobis proposita iniquum esse censeamus. Quod ipsum, si consentiente legislatore fiat, et hanc ipsam exceptionem probante, priuilegium adest, siue exemptio a iure communi.

Cum igitur iniquum sit, vt durius agamus cum iis, qui nobis arctiori quodam vinculo iunguntur, et eos ad solidi praestationem, cum ipsorum saepius vitae discrimine, adigamus, quos vel nos ipsi alere debemus, vel qui nos sibi singularibus beneficiis deuinxerunt: i) ab aequitate ipsa se commendant legum Romanarum sanctiones, quae iusserunt, vt parentes, k) patrōni, eorumque liberi et parentes, l) nec non maritus, si nondum soluto matrimonio ab vxore conueniretur, m) focer, si manente matrimonio dos ab eodem peteretur, n) isque, qui ex donatione sua conueniretur, o) denique focii, qui fraternum sibi amorem inuicem debent, p) in id tantum, quantum facere possint, condemnarentur.

Eadem aequitatis, vtilitatisque publicae ratio, q) militibus etiam, qui sub armata militia stipendia meruerunt, et qui saepius pro patria maxi-

h) *L. I. C. Qui bonis cedere poss.* DAV. MEYVVS in Comment. ad *Ius Lubecense*, P. III. T. I. Art. X. n. 24.

i) DAV. GE. STRYBEN in *Recbl. Bedenken*, P. I. Bed. V. et HELLFELD in *Diff. cit.* §. X. et XI.

k) §. 38. *I. de Action.* L. 7. §. 1. *D. de Obsequiis parent. praestand.* L. 16. et L. 30. *D. de Re iudic.*

l) §. 38. *I. de Act.* L. 17. *D. de Re iud.*

m) §. 37. *I. de Act.* L. 12. *D. Solutio matr.* L. 17. et 20. *D. de Re iud.*

n) L. 22. *pr. D. de Re iud.*

o) §. 38. *I. de Act.* L. 12. *D. de Donat.* L. 19. §. 1. L. 30. et L. 41. §. 2. *D. de Re iud.* L. 28. *D. de Reg. iur.*

p) §. 38. *I. de Act.* L. 63. *D. pro Socio.* L. 16. et L. 22. *D. de Re iud.*


q) HELLFELD in *Diff. l.* §. XII.

maxima pericula subierunt, hacque ratione sibi ciues omnes deuinxerunt, idem priuilegium conciliauit, vt condemnati eatenus, qua facere possunt, soluere cogantur, r) ne scilicet anxia rei familiaris cura eisdem a defensione reipublicae auocaret, et vt grauissimorum pro reipublica exantlatorum laborum praemium consequerentur. s) Neque dignitati reip. conueniret, si illa milites, qui dum sub armata militia stipendia meruerunt, vitam, membraque sua, tot periculis pro ipsa exposuerunt, necessariis alimentis carere sineret. Hinc nullus dubito, quin idem etiam priuilegium concedendum sit iis militibus, qui honestam vel etiam causariam missionem impetrauerunt, licet alii aliter sentiant. t) Nam et hi post missionem priuilegiis militum gaudent, u) neque iis, qui honeste missi sunt, licet se arrogandos praebuerint, peculii castrensis administratio adimitur, x) et non solum his, qui castra vere sequuntur et in expeditionibus sunt constituti, sed in genere omnibus, qui sub armata militia stipendia meruerunt, priuilegium, vt in id, quod facere possunt, conueniantur, concessum est, y) denique a iure testamentum militare condendi, a quo arcentur ii, qui missionem impetrauerunt, certum argumentum ad beneficium competentiae duci non potest, cum imminens vitae periculum, quod militi iam misso non amplius imminet, testamento priuilegiato, non autem competentiae beneficio, locum faciat. z)

Recte igitur hoc ipsum competentiae beneficium iis temporibus, quibus iura Romana in Germaniam uenerunt, ad omnes ingenuos, siue

* 3

- r) L. 6. pr. et L. 18. D. de Re indic.
 s) ERN. FRID. SCHROETER in Diss. de iure competentiae, Jen. 1661. Cap. II. DAV. GE. STRYDEN in Rechtl. Bedenken, T. I. Bed. V. §. 1.
 t) IO. GE. NICOLAI in Processu, P. III. Cap. V. n. 14. et III. CHR. GOTTL. HOMMEL in Capiribus iuris lectis de personis, quibus beneficium competentiae denegandum, Witreb. 1783. §. VI.
 u) L. 13. §. 2. D. de Re militari.
 x) L. 4. §. 2. D. de Castrensi peculio.
 y) WOLFFG. AD. LAVTERBACH in Diss. cit. §. XXIII.
 z) L. 1. L. 15. et L. 17. C. de Testament. milit. L. vn. D. de Bon. Possess. ex testamento milit.



sive nobiles, et feudi possessores, qui quoties id reipublicae salus exigeret, armatam militiam sequebantur, a) traductum est. Id enim juris patrii Doctores, in hac re TERTULLIANVM b) secuti, privilegio inesse crediderunt, ut ad eas quoque personas pertineret, quae similes quandoque essent. Pericula autem, quae milites, qui sub armata militia stipendia merent, subire solent, et quibus patriam civisque eius sibi devinciunt, beneficio locum fecerant, nobiles vero et feudi possessores his ipsis temporibus milites erant, et saepius suis sumptibus stipendia faciebant. c) Hinc vasallis, qui domino semper praesto esse, eique servitia militaria praestare debebant, d) et nobilibus sive ingenuis, qui ex genere militari ori erant, solique ex antiquioris iuris feudalis placitis feuda possidere poterant, e) beneficium competentiae tanquam militibus, vindicabatur, ne relicto armorum usu se ad alia negotia conferrent, f) sed vnde servitia praestare possent, habent, indeque hodie adhuc in terris Ducatus Callenbergici, omnibus omnino vasallis, qui ob debita aliena, quae ipsi non contraxerunt, continentur, hoc competentiae privilegium tribuitur. g)

Mutato quidem veteris militiae statu, iniquum est, ut nobilibus et vasallis, qui iam militiam armatam non sequuntur, sed quorum maiores tantum sub armata militia stipendia meruerunt, hoc ipsum competentiae beneficium, quod propter militarem conditionem acceperunt, tribuatur. „In omnibus enim causis id observatur, ut ubi personae conditio locum facit beneficio, ibi deficiente ea, beneficium quoque deficiat.“ h) Neque vlla lex extat, quae vel vasallis, vel iis, qui auitae nobilitatis insignibus utuntur, eiusmodi privilegium, quo milites

tes

a) ES. PVEFFENDORFFIUS in *Inroduç. in Process. civil.* p. 805.

b) in *L. 27. D. de Legibus.*

c) *Ius feud. Sax.* C. IV. IO. HENR. DE SELCHOV in *Comment. de statu ingenuorum in Germania*, Cap. I. §. V. et Cap. II. §. XXIX.

d) *II. Feudor.* VII.

e) *Ius feud. Sax.* Cap. II. *Ius feud. Alem.* C. II. §. 4.

f) LATTERBACH in *Biff.* cit. §. XXIII.

g) D. G. STRUBEN in *Recht. Bedenken*, T. I. Bed. V. §. III.

h) *L. 68. D. de Reg. iur.*

tes ornantur, concedat. Nec a iure communi eximendus est quisquam, nisi intuitu cuius ipse legislator ius aliquod singulare statuerit. Privilegia enim sunt strictae interpretationis, i) neque ad alios transferri possunt, nisi quibus legislator eadem concessit, praesertim si tertii cuiusdam ius per eiusmodi privilegia imminuat, licet eadem vel maior etiam ratio adesse videatur. k) Hinc analogiae iuris convenient eorum sententia, qui docent homines auitae tantum gentis nobilitate insignes, nisi ipsi armatam militiam sequantur, vel feuda, ex quibus seruitia militaria exiguntur, possideant, ad beneficium competentiae aspirare non posse, sed creditoribus suis in solidum satisfacere debere. l)

At cum semel hoc competentiae privilegium, ad vasallos et nobiles, tanquam origine et destinatione milites, tractatum esset: factum est, quod saepius evenire solet, ut ea, quae per legitimam consequentiam ex principio, quod olim placuerat, introducta essent, retinerentur, licet ratio ipsa cessasset, et fons, ex quo hi riuuli deducti essent, iam diutius exaruisset. m) Idem enim in aliis etiam causis accidisse, satis clare docent plures sacramenti reliquiae in matrimonialibus apud Protestantes, de quibus integrum libellum conscripsit STRYCKIUS. n) Mirum igitur non est, quod, mutata licet veteris militiae forma, et quamuis non omnes antiqua generis nobilitate insignes armatam militiam sequantur, neque a vasallis hodie seruitia militaria, quae solus fere conductitius miles praestare solet, facile exigantur, haecque ipsa feudi


i) L. 14. D. de Legibus, L. 1. §. 2. D. de Const. Princip. L. 141. pr. D. de Reg. iur.

k) SAM. STRYCKIUS in Diff. de Privilegiis interpretatione, Cap. V. n. 72. et Cap. VI.

l) W. A. LAYTERBACH in Diff. laud. §. XXXIV. AVG. A. LEYSER in Diff. Beneficium competentiae, quousque nobilibus comperat. CONR. GVIL. STRECKER, in Diff. de Beneficio competentiae, nobilibus non competente, Erford. 1733. ES. PVEFENDORFFIUS in Proc. iur. civ. P. II. Cap. V. et p. 805. D. G. STRYBEN in Rechl. Bedenken, P. I. Bed. V. §. 2. et P. IV. Bed. LXIX. I. A. HELDFELD in Diff. laud. §. XIII.

m) STRYBEN in Rechl. Bedenken, P. I. Bed. V. §. 3.

n) I. S. STRYCKIUS de Reliquiis sacramenti in matrimonialibus.



feudi onera esse videantur, quae a quocunque feudi possessore praestari debent, denique si exigantur, et hostis infestis armis rempublicam oppugnet, parum utilitatis adferant; o) etiam nunc hominibus auita nobilitate insignibus illud beneficium competentiae tribuatur, et hanc sententiam inprimis iuris Saxonici Doctores sequantur, qui rerum iudicarum auctoritate hoc ipsum ius in Saxonia nostra stabilitum esse docent, p) licet inter eos nonnulli sint, ut HORNIVS, aliique, qui ne togatis quidem militibus, quorum tamen, cum reipublicae inferuiunt, magis iusta causa esse quam eorum, quorum maiores tantum de patria bene meruerunt, videtur, hoc privilegium concedendum esse putant, quamvis et hi se in possessione huius iuris, per tot Iureconsultorum sententias, et rerum iudicarum auctoritatem acquisiti, defendere possint.

Nam et his, per interpretationem privilegii extensivam, idem ius olim concessum est. Cum enim viderent Iure Consulti militibus ex ea causa, quod reipublicae prodesse, competentiae beneficium tributum esse, aequum censuerunt, ut, cum

„Pectora sint fortiora manu, vigor omnis in illis“ q)

mili.

o) STRYBEN loc. cit. §. 2.

p) v. *Consultationes Saxonicae*, Lib. II. P. III. Qv. XXX. B. CARPZOVIVS in *Decis. for.* P. I. Const. XXXII. Def. XV. CHR. PH. RICHTER in *Decis.* P. I. Dec. XXV. I. G. NICOLAI in *Proc.* P. III. Cap. V. n. 15. L. G. MARTINI in *Comment.* ad O. P. S. Tit. XXXIX. §. 4 n. 59. I. PHILIPPI in *Vsu pr. Inst.* Lib. IV. Ecl. IX. LVD. MENCKEN in *Processu* ad Tit. XXXIX. §. XXXV. Idem in *System. iur. civ. sec. Pandect.* Lib. XLII. Tit. I. §. XXXIX. I. H. BERGERS in *Elect. Discept. for.* Tit. XXXIX. Obf. VII. n. 7. et in *Supplem.* P. I. p. 380 sq. et P. II. p. 655. et in *Oecon. iuris*, Lib. IV. Tit. XXIX. §. 5. C. H. HORNIVS in *Resp.* Cl. XII. Resp. XIX. et CIX. Idem in *Diss. de Beneficio competentiae*, §. XIV. Io. B. WERNHER in *Diss. cit.* C. III. Th. V. §. 2. M. H. GRIEBNERVS in *Dissurs zur Erläut. der Procest-Ordnung* ad Tit. LII. §. 3. A. ALEYSER in *Med. ad Pand.* sp. DCLXIV. Med. XXXIV. et in *Diss. cit.* §. XVII. G. F. KRAYSIVS in *Diss. de Fundamento beneficio competentiae fratrum*, *Witteb.* 1750. §. IV.

q) OVIDIVS in *Metam.* Lib. XIII. v. 369.


militibus etiam togatis, qui saepius plus, quam sagati, reipublicae profunt, idem beneficium tribueretur, vt in quantum facere possint, conuenirentur, r) quorum opinio plurium rerum iudicatarum auctoritate firmata est, s) et analogiae iuris eo magis conuenit, quo magis reip. interest, quo minus egeant illi, qui partes eius curant, muneraque publica obeunt, quos pro ea, quam in republica tenent dignitate, alimenta accipere aequum est.

At in his, qui publica accipiunt stipendia, non priuilegium ipsis personis tributum, sed ipsius potius reipublicae utilitas efficit, vt eatenus tantum, qua facere possunt, soluere cogantur. Damnum enim ex ipsa executione, si eiusmodi homines ad saccum et peram vsque excuterentur, ad rempublicam rediret, quae deinde opera eorum, cum dura pauperies eosdem, vt quouis modo sibi victum quotidianum quaerere, cogeret, commode vti non posset. Hinc intercedere poterit respublica, ne eiusmodi hominibus, quorum opera vitur, ea eripiantur, quae ad vitam pro dignitate degendam necessaria sunt, et iure suo postulabit, vt iisdem id relinquatur, ex quo officia sua pro dignitate obire possint. t) Hinc fieri solet, vt omnibus, qui in officio

- r) *Glossa ad L. 6. D. de Re iudic.* A. GAILLVS in *Obs. pract.* Lib. I. Obs. CXVII. n. 8. I. BRUNNEMANN ad *L. 6. D. de Re iud.* G. DE IENA in *Diff. de Beneficio competentiae*, Cap. II. §. 43. H. HAHNIVS in *Diff. de Alimentis*, §. XXXIV. E. F. SCHROETER in *Diff. de Iure compet.* C. II. A. BEYERVS in *Diff. de Cessione bonorum*, Th. XXIII. sq. I. ANSELMVS in *Diff. de eo, quod extremum iudiciale actum seu executionem sistit et differt*, §. X. I. REYSNERVS in *Diff. de Executione rei iudicatae*, §. 16. M. H. GRIEBNERVS in *Discurs zur Erl. der Proceß-Ordnung ad Tit. LII.* §. 3. C. F. HOMMEL in *Rhapsof.* Obs. DCXVIII.
- s) B. CARPZOVIVS in *Def. for.* P. I. Const. XXXII. Def. XVIII. et in *Afflo Debitor.* Cap. IV. §. LXXVI. CHR. PH. RICHTER in *Decis.* P. I. Dec. XXIV. LVD. GVNTH. MARTINI in *Comment. ad O. P. S.* Tit. XXXIX. §. 4. n. 63. IO. PHILIPPI in *Vsu pr. Inst.* Lib. IV. Ed. LX. G. SCHNEIDER in *Diff. de Beneficio competentiae*, Th. X. L. MENCKEN in *Processu*, Tit. XXXIX. §. XXXVI. sq. SAM. STRYCKIVS in *Vsu mod. Pand.* Lib. XLII. Tit. III. §. XXI. I. B. WERNHER in *Diff. de Beneficio competentiae*, Cap. III. Th. VIII.
- t) AVG. A LEYSER in *Med. ad Pandect.* Spec. CCCCLXXVII. Med. III.

**

D. G.



officio publico sunt constituti, licet id nulla lege certa definitum sit, beneficium competentiae concedatur, quoties fortunae iniuria, non suo vitio, aes alienum, quod dissolvere non possint, contraxerint. Nam si bona sua decoxerint, hoc ipso beneficio, u) et inuere publico indigni videntur. x) Quantum autem cuique, ut pro dignitate vivere possit, relinquendum sit, iudex arbitrabitur, y) cuius arbitrium tamen in Saxonia nostra, nisi obaeratus debitor publico salario gaudet, iis limitibus est circumscriptum, quos iudici posuit Ordinatio Processus Recognita, quae prohibet, quo minus debitori obaerato, per singulas hebdomades plus, quam duo thaleri, alimentorum loco addicantur. z) Nam in iis, qui publico salario gaudent, obseruantia fori Saxonici exigit, ut duae tertiae partes salarii debitori relinquuntur, ex tertia parte autem creditoribus satisfiat. Hoc enim docent verba Rescripti Electoralis f. d. XIV. Martii A. 1708. ad hanc Academiam missi: „daß der dritte Theil der von Beclagtem zu genießen habenden Besoldung und aller andern Emolumenten zur successiven Befriedigung der Kläger abgezogen werden möge, in maassen ein höheres Verhältnis der für die Gläubiger etwa nöthig werdenden Besoldungszabzüge auch bey Churfürstlichen Dienern überhaupt nicht angeordnet zu werden pfleget.“

Cum autem in Saxonia nostra, per inueteratam consuetudinem, quae, ne ius plane incertum fiat, pro lege non immerito custoditur, a) omnibus, ut supra docuimus, antiqua gentis nobilitate conspicuis hominibus beneficium competentiae datum sit, nulli dubitamus, quin idem etiam privilegium liberis debitoris obaerati, qui ipsi etiam antiquitate generis conspiciuntur, et nobilium privilegio gaudent, sit tri-

- buen-
- D. G. STRYDEN in *Rechtl. Bedenken*, T. I. Bed. VII. I. A. HELLFELD in *Diff. l. § XXI.*
- u) *Ord. Proc. Recog.* ad Tit. LII. §. 3. cf. STRYDEN in *Rechtl. Bedenken*, T. IV. Bed. XXIII.
- x) vid. *Geschäftes Mandat wider die Banqueroutiers*, d. d. XX. Decbr. 1706. §. XII. et *Mandat zur Erläuterung des 20st. §. des unterm 20. Decbr. 1706. ergangenen geschäftes Mandats wider die Banqueroutiers* d. d. XI. Mart. 1708.
- y) E. F. SCHROETER in *Diff. de Iure competentiae*, C. III.
- z) O. P. R. §. ad Tit. XLII. §. 3.
- a) L. 32. §. 1. D. de Legibus.

buendum. b) Quamvis enim hoc beneficium debitori tribuatur, qui non suo, sed fortunae vitio, bona sua perdidit, et personae inhaereat, neque ad haeredes transeat, c) haec ipsa tamen regula eam admittit exceptionem, nisi etiam haeres ex sua persona privilegio dignus sit. d) Commoda enim ratio afferri non potest, cur solidum solvere debeat is, qui non ex sua, sed eius, in cuius locum succedit, persona, convenitur, cum hic, si debitum ipse contraxisset, eatenus tantum, qua facere potuisset, solvere coactus fuisset. Quare etiam vasalli nobilis, qui sub armata militia stipendia meruerat, liberis beneficium competentiae non denegavimus, cum M. Novembri A. 1601. cccxvii. acta ad nos transmissa essent, in quibus de bonis defuncti F. W. L. v. F. lis agitata esset, et has sententiae rationes adiecimus: „*Dann und soviel das für die Kinder des Debitoris gesuchte beneficium competentiae, und das ihnen dieserhalb auszusetzende Alimentations- und Erziehungsquantum betrifft, ersteres zwar an und für sich, als ein mit der Person des Schuldners verbundenes Privilegium, auf dessen Kinder nicht übergeht, HOMMEL, in Rhaps. Obs. DXXV. indessen doch, nach dem Gerichtsgebrauch den Kindern solcher Personen, welche sich dieses Beneficii zu erfreuen haben, nach Absterben ihres Vaters, und bey Ermangelung eigenen Vermögens, so lange sie dergleichen nicht acquiriren, und sich selbst zu erhalten nicht vermögen, zu ihrem nothdürftigen Unterhalt, ein den Umständen angemessenes jährliches Quantum auszusetzen.* BERGER in *Oec. Lib. IV. Tit. XXIX. Th. V. n. 1.* DE GLOBIG in *Comment. Obs. XVI. n. 8.*“

Duplex enim causa his ipsis liberis proderat, cum, quod auitae gentis nobilitate insignes essent, tum quod feudum paternum ad eodem lege successione transiisset, ipsique iam vasallorum iure gaudent, qui, cum origine et destinatione sua milites videantur, competentiae beneficio haud indigni censentur. e) Nam ipsius domini di-

* * 2

b) I. H. BERGER in *Oecon. iur. Lib. IV. Tit. XXIX. Th. V. n. 1.*

c) L. 24. §. 1. L. 25. et L. 41. *pr. D. de Re iudic. L. 7. pr. D. de Except. L. 12. D. Solutio matrimon.*

d) L. 18. *pr. D. Solutio matrimon.* I. G. NICOLAI in *Processu P. III. C. V. n. 36.*

e) G. A. STRUVIUS in *Synonym. Iur. feud. C. XIV. Art. XXXII.* WERNBER in *Diff. cit. C. III. Th. III. §. 3.* STRUVIUS in *Rechrl. Bedenken, T. I. Bed.*



recti interest, vt vafallum, cui feudum ea lege datur, vt feruitia praefet, honoremque domini quouis modo promoueat, f) ad feruitia habilem, instructum et paratum inueniat, quam habere nequit, si eidem nequidem necessaria alimenta relinquuntur. Hinc intercedere poterit dominus directus, ne vafallus ad vltimum vsque obolum excutiat, g) et vafallus ipse ad hoc ius domini directi, si a creditoribus suis conuenitur, recte prouocabit, h) cum eidem ex vsu fori, Saxonici inprimis, i) alimenta necessaria relinquenda sint, qui vsus fori in terris Brunouicensibus expressa lege est confirmatus. His enim verbis vitur Dux Brunouicensis GEORGIVS GVILIELMVS, in *Ordinatione Cancellariae Calenbergensis*, quae sub die XXV. Novembris c1010c1xliiii. prodit:

„Und weil die Söhne, vermöge Unserer Landesconstitution, ihres Vaters Schulden auch aus den Lehngüthern, es seyen dieselben gleich ex pacto et prouidentia, haereditaria oder mixta, antiqua oder noua, zu zahlen, und also der Lehen, sie rühren her, wo sie wollen, sammt dem Erbe, cum onere aeris alieni, entweder zugleich zu enthalten verpflichtet, jedoch mit dieser Erklärung, wann ein Sohn sich des Beneficii Inuentarii nach Verordnung der Rechte gebraucht, daß er alsdann ultra vires haereditarias, und soweit sich darneben seines Vaters hinterlassenes Lehn erstreckt, den Creditivibus nicht verbunden, noch de proprio, was er erworben oder ihm sonst zufällt, ichtwas zuzuschleffen schuldig seyn soll; dann auch mit Vorbehalt der Mitbelehnten Rechts, welche in die Verpfändung nicht ge- williget, denen solches hernacher, wann sich das Lehn an sie verlediget,

„zu

Bed. VII. C. H. MOELLER in *Distinct. feudal.* Cap. XXV. Dist. IV. Io. AVG. HELLFELD in *Elem. iur. feud.* §. CCCCLXVII. Io. L. E. PÜTTMANN in *Elem. iur. feud.* §. 548.

f) *Il. Feud. VII. et Ius feudal. Sax.* Cap. IV.

g) AVG. A LEYSER in *Med. ad Pand. Spec. CCCCLXXVI.* Med. IV. STRYBEN in *Rechl. Bedenken*, T. I. Bed. VII. §. 1.

h) Io. AVG. HELLFELD in *Dist. cit.* §. XIV. et XVII.

i) W. A. LAUTERBACH in *Diff. de Beneficio competentiae*, §. XXIII. TOS. BARTHVS in *Dissensuum*, Centur. VII. Diff. 63. n. I. J. H. BERGER in *Oec. iur.* Lib. IV. Tit. XXIX. Th. V. n. I. F. E. PVFFENDORF in *Observ. iur. univ.* T. I. LXIII. STRYBEN in *Rechl. Bedenken*, T. IV. Bed. LXIX. Ferill. Io. E. A. GLOBIG in *Comment. de Rebus dubiis in iure feudali*, Obs. XVI. §. VIII.

zu keinem Nachtheil gereichen kann: So lassen Wir es auch bey solcher
 „Verordnung nochmals bewenden, gleichwohl mit dieser Moderation, daß
 „demjenigen, so die Schulden nicht gemachet, sondern ihm angeerbet seyn,
 „so viel gelassen, oder mit Zuziehung der vornehmsten und nächstgeseßenen
 „Creditoren, nach Gelegenheit der Güter und Personen, wie solches das
 „Beneficium competentiae erfordert, verordnet werde, damit er seine nö-
 „thige Alimenta behalten, und die gewöhnliche Lehndienste davon abstat-
 „ten könne.“ k)

Sed haec de quaestione, an filii vasalli nobilis in Saxonia beneficio
 competentiae gaudeant? dixisse sufficit. Veniendum iam est ad id,
 cuius causa haec haecenus disputauimus. Summos enim in iure ho-
 nores sibi expetit

V I R

HYMANISSIMVS, DOCTISSIMVSQVE
 SAMVEL BENIAMIN REYHERVS


CHEMNITIO - MONTANVS

IURIS VTR. CANDIDATVS,

qui quem vitae cursum haecenus tenuerit, his verbis nobis exposuit

Ego, SAMVEL BENIAMIN REYHER, natus sum Chemnitii anno
 MDCCLXXIV. die XXI. Mart. ex Patre, IOANNE SAMVEL
 REYHERO, Mercatore in patria ciuitate; Matre vero, MARIA ROSINA,
 ex gente SCHWOBIANA, oriunda, quam vero ante nouem annos ereptam
 adhuc doleo. Qui optimi Parentes, in me recte educando omnem adhibue-
 runt operam, et me non solum priuatis institutionibus erudiendum curarunt,
 sed et in patriam scholam miserunt, in qua institutione vsus Praeceptorum
 Celeberrimorum, ROTHII Rectoris, LESSINGII Correctoris, BOERNERI
 Tertii, KRETZSCHMARI Cantoris. Absoluto ibi cursu delatus Witteber-
 gam anno huius seculi XCII. obi retulit me in album ciuium Academicorum
 Excellentissimus MATTHAEI, eo tempore Academiae Rector. Ibi secta-
 tus sum in Philosophia Praecellentissimum KLOTZSCHIVM; in Historia vero
 Excellentissimum SCHROECKHIVM. Deinde autem in Iurisprudentia adii
 scholas Virorum Illustrium, Iuris Consultissimorum. laude mea longe maio-
 ram, et quidem Illustris WIESANDII in Iure Germanico, Saxónico, et in
 prae-

k) Callenbergische Canzley-Ordnung de Ao. c161cLXIII. Tit. XXXVI. n. 16.



praeceptis tradendis referendi ex actis publicis, Illustris KLÜGELI, in Processu iudiciario et in praeceptis ex actis publicis causas controversas proponendi, Illustris HOMMELII in doctrina Pandectarum, Iuris Consulti et Excellentissimi SCHMIDII in Iure militari, Iuris Consulti TRILLERI in Iure cambiali, cuius et societati, quae in differendo et scribendo se exercet, per integrum annum sui addictus, et quem praeterea in omni iure enucleando privatissime ducem habui, Iuris Consulti MENCKENII in Iure criminali, Iuris Consulti GREBELII in Institutionibus, Iuris Consulti KOHLSCHÜTTERI in Iure naturae et in Encyclopaedia iuris, usus sum Praeceptoribus fidelissimis, quibus me ad supremos cineres gratum atque obstrictum spondeo. Anno huius seculi XCV. sub Praesidio Illustris KLÜGELI nonnullas Theses publice defendi et deinde me examini pro praxi et notariatu submissi. Quibus feliciter superatis in patriam redii et per biennium in practicis laboribus, partim in Praefectura Rochlicensi, partim etiam apud Iuris Consultum THILONEM, Inspectorum Accisarum Meritissimum, me exercui. Iam vero redux factus in hanc Musarum sedem, Illustris Iure Consultorum Ordinem precibus adii, ut me ad examen pro Candidatura et quod Rigorosum vocatur, admitteret. Benevole annuit petitis meis, et iam sum in eo occupatus et summos in utroque iure honores ab eodem conferendos modeste petam, quae res et mihi cedat feliciter, toto pectore precor atque opto.

Is in utroque examine ad quaestiones propositas ita respondit, ut eundem maxime dignum censeremus, cui Doctoralis dignitas tribueretur. Iam ultimum, quod a Doctoribus exigere solet, specimen edet, et proximo die Iovis sc. d. XIX. Aprilis h. a. me Praeside, Dissertationem inauguralem a se conscriptam, quae Nonnulla ad militiam sagittam et togatam spectantia capita silit, publice defendet. Cui solemnitati, ut RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, ILLVSTRISSIMVS COMES, PERILLVSTRES LIBERI BARONES, omnesque RERVM DIVINARVM HVMANARVMQVE LITTERARVM DOCTORES, nec non GENEROSISSIMI AC NOBILISSIMI ACADEMIAE CIVES, benevole interesse, et hac ipsa re, beniuolentiam, qua ordinem nostrum, Candidatumque prosequuntur, comprobare velint, humanissime et obsequanter rogo. Datum Witteberga-Saxonum, d. XIV. Aprilis A. O. R. 1806ccxcviii.



Wittenberg, Diss., 1796-98

ULB Halle

004 335 902




3

f

Sb.







ORDINIS IVRIDICI

IN

1798

34

ACADEMIA WITTEBERGENSI

H. T.

DECANVS

GOTTLIEB WERNSDORFFIVS

PHILOS. ET IVRIVM DOCTOR, DIGESTI INFORTIATI
ET NOVI PROF. PVBL. ORDIN. CVRIAE ELECTORALIS
PROVINCIALIS, SCABINATVS ET FACVLTATIS IVRI-
DICAE WITTEBERGENSIS, NEC NON IVDICII PROVIN-
CIALIS IN MARCHIONATV LVSATIAE INFERIORIS
ASSESSOR

LECTORI BENEVOLO SALVTEM

an filii vasalli nobilis in Saxonia beneficio competentiae gaudeant?
disquiritur.

